
350

62.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,



Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, 18ª Novembris 1728.

M. BERNARDO DE JUSSIEU, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socio, & in Horto Regio Botanices Prodemonstratore, Doctore Medico, Præside.

Est-ne suus lymphæ ut sanguini propria per vasa circuitus?

I.



HUMANUM corpus hydraulico-pneumaticam esse machinam non temerè affirmatur; qui imprimis in eâ oculis patent humores duo sunt, ex chylo uterque oriundus, usibus ambo maximis idonei, alimentis continuè reparabiles, per totam ubique machinam diffusi, quibus vitiatis illa læditur, sublatis tota ruit animalis œconomia; ille ruber, concrescibilis, salsus, antiquissimè sanguis nuncupatur; hic albicans oleoso-serosus, subdulcis, lymphæ recens nomen accepit; duos inter, principatum sanguini, & Veteres & Neoterici naturæ indagatores detulêre; Primi quòd cæteros omnis generis liquores in se continere, quòd ab eo alios emanare jam viderint,

(undè, *vita in sanguine*, vetus proverbium,) Novissimi quòd illum assiduo donatum motu cognoverint: mirabile profectò observatum, sæculis pristinis ignotum, proximè elapsi sagacitati reservatum, quo nullo magis divini fabricatoris intelligentia emicat! rubri hujusce liquoris perpetuæ ex arteriis ad venas scaturiginis, indesinentis è venis ad arterias remeatûs demonstratione famosum, cujus in rapido cursu sic liquidæ molis particulæ attenuantur, ut minutissimæ repetito attritu factæ habiles per certa cola secerni, destinata sibi vasa subeant; diversas illic colorum saporum ac consistentiæ species indutæ, variis machinæ functionibus famulantur. Sola has inter sanguinis secretiones recenseri lympha ægrè fert; ferax liquor, latiùs in singulas corporis partes intimè diffusus, sui copiâ, usuumque præstantiâ, sanguinis nobilitatis æmulus, parem denegari sibi motum queritur; concedere quid obstat? si experimentis, si rationibus, argumentisque fortè similibus hunc sibi vendicet.

II.

RES certè obscura humani corporis fabricæ mechanismus; ingenia ab ævo exercuit; nostris nepotibus ultimis disputationum seges adhuc futura; nudam tamen interdum sibi se naturam præbere labor improbus cogit; illius enim mysteria investigandi modus multiplex; quæ rudiorem antiquorum anatomicorum operam diu fugerunt, aut solertiori scalpello in dies cedunt, aut juvantis oculorum aciem microscopii ope deteguntur; interioris organorum structuræ juxta Mathematicorum normam disquisitio, ad cognoscendas motus causas ducit; diversos inter liquores æquilibrium staticis hydraulicisque legibus demonstratur; tenuissimorum vasculorum aditus, ramenta, processus, ceræ coloratæ fusæ aut subtiliorum liquorum penetrantur injectione, hæc subjecto in cadavere vitalium humorum affluxum imitatur, quem vivo in corpore inspicere & nefas & impossibile est. Ad intimam cognitionem conferunt, & generis omnis animalium anatome, & dissectarum in eis partium cum humanis analogia, minimorum cum majoribus, eorumque quibus nos præcellunt organorum cum nostris collatio. Adde humorum quos continent accuratum examen, colorem, odorem, saporem, pondus, consistentiam; adde eorumdem fluentium originem, fluxusque directionem, vel super vel subtus ligatum vas probatam; & eorum principia, succorum aliorum mixturâ, luctâ, fermentatione, lotionibus & coctione explorata: nec fallax observationum ratio ex morborum symptomatis, vulnerum ulcerumque visu & curatione, nec vana sunt ex medicaminum effectibus judicia. His & talibus experimentis, indiciis, disquisitionibus circularis sanguinis motus sese physicam in scenam protulit, quem Servetus & Cæsalpinus priores suspicati sunt, certum asseruit Paulus Sarpi & demonstratum adversùs reluctantes sic Harvæus acerrimè propugnavit, ut nulli nisi cæco jam dubius sit.

III.

LYMPHÆ naturam, motum, dotes noscere vis? eodem ad ejus quo ad sanguinis examen scrutinio utere; præjudicatis de eâ opinionibus amotis, ac mente ad tempus à spirituum animalium figmento jam labante liberâ, chylum è vivi dissecti animalis stomachi pyloro, humorem lacteum in lacteas venas stillantem intuere; è venis lacteis Asellii Pancreas subeuntem sequere, à Pancreate in Pequeti receptaculum collectum, hinc canalem Thoracicum petentem, ab eo partìm in axillarem venam magnâ pro parte impulsum, partìm ad cerebrum salientem, hic in corticali ac medullari substantiis, ipsâque elongatâ medullâ, exquisitior factus, procedentes ab eo nervos penetrat, è quorum extremis in crystallinum mutatus liquorem, sese in tenuissimorum vasorum quasi nodosam compagem insinuat, unde ad Thoracicum canalem omnibus ex partibus redux appellit, chylo puro interdum, sæpiùs succo intestinali adjunctus, idem assiduè iter repetiturus. Lympha est liquor ille; etsi cursum ejus humano in cadavere scalpello prosequentem, Ariadneum filum te forsan fugeret, si anceps in vasorum labyrintho hæreres, viarum errorem, lymphaticorum cum sanguiferorum canalium analogiæ trutinâ corrige; vehentes ambos cum revehentibus, eadem combinatione dispositos observa, situm

in ambobus ſimilem, nunc perpendicularem nunc horizontalem, parem vehentes inter ac revehentes colorum diverſitatem, parem conſiſtentiæ diſſimilitudinem; ſanguinem arteriæ, lympham nervi ferunt; illum venæ, hanc vaſa lymphatica referunt; amborum numerus ferè idem, firmiores fibroſæ & elaſticæ nervorum ſicut & arteriarum membranæ, venarum ac vaſorum lymphaticorum laxiores ac diaphanæ; turgidæ rubent arteriæ; liveſcunt venæ; albent nervi, è cryſtallino perlucent vaſa lymphatica. Quorſum quæſo hæc tota cerebri cerebellique officina, niſi ut ad lymphæ ſicut cor & pulmo ad ſanguinis receptaculum & elaborationem inſerviat? quà ullam corporis particulam punges, undè plus minuſvè lymphæ non fluat? & ſi nervis vehi dubitas, nervei laticis curſum forti ligaturâ cohibe; arteriis veniſque ſanguiferis nihilominus fluentibus pars motu nutritione ac ſenſu defraudata marceſcit.

IV.

HUNC lymphæ motum non ſola indicant organa, arguit & petita ab uſibus neceſſitas, illâ vivere, ſentire, nutriri, creſcere, propagari hominem nihil certius: Embryonem recens formatum, nervos, membranas, ipſamet oſſa Papini machinâ decoque, ſingula in gelatinum humorem reſolves; analogo ex plantis, animalibuſque ſucco alimur, qui merè lympha eſt; impurum ac nutritioni ineptum ſanguinem, non ſine causâ, lex Moſaïca vetabat; tota lymphatica eſt extrema quæ oculis ſubeſt nervorum pars criſtallina; opticorumque imprimis, in reticulari quorum expanſione viſio conſiſtit, de auditoriis, guſtatoriis, olfactoriis, palpantibus idem habeto, quibus exciſis & ſenſationum & functionum virtus perit, voluntatiſque imperio parere tendinoſæ chordæ recuſant; ſemen ipſum propagationi dicatum, non niſi lymphæ elaboratiſſimæ ſpeciem exhibet, quâ verò hæc arte tot in liquores, tantis aptos uſibus immutatur, niſi repetito in propriis ſibi vaſis tritu, niſi multiplici percolatione quæ abſque circulari motu perfici nequeunt? ſeroſa igitur craſſiorque chyli portio particularum ſalino-ſulphurearum ex alimentis eductarum mixturâ & fermentatione rubeſcens ac caleſcens ſanguiferis vaſis ſufficiat? hanc ſuam molem vehant, revehantque, ex aſſiduo cujus circuitu, urina, ſudor, pituita eliminentur, bilis, ſaliva, ſtomachalis, Pancreaticus, inteſtinaliſque humores ſecernantur; ſimplici naturæ mori repugnat, humorem nobili uſuum miniſterio pretioſum, jam chylificatione defœcatum, novam ſui cum ſanguine mixtione colluviem repetere, rursûs in eâ coinquinandum, denuò repurgandum; viâ breviori, ſuo per nervos & lymphatica vaſa circuitu ſuas patietur ſecretiones, huic ſi ſuo motu ſanguinis inſtar gaudere dabitur. Circuitum hunc alia mille argumenta confirmant, & cordis menyngumque virtus ſimilis elaſtica fluido impellendo & in vaſa protrudendo non impar, & mutua identidem ſanguiferorum cum lymphaticis vaſis inter ſe communicantium, ſibique liquorem invicem ſuppeditantium officia, & variæ ex alterutriuſque humoris aut redundantis copiâ aut abundantioris aliena in vaſa appulſu incommodorum obſervationes; & comparata èx frequentiori Phlebotomiâ & purgationis uſu damna, & ad ſubitam confecto à lautioribus alimentis chylo, nervorum refocillationem attentio, ut & ab eodem vitiato, aut ſufflaminato vel inediâ, vel vaſorum obſtructionibus humore lymphatico ægritudines exortæ.

V.

INAUDITUM, ais, ſyſtema, ſuâque novitate ſuſpectum! imò vetuſtiſſimum reputa; obſoletis humidi primigenii & calidi innati vocibus ac ideis olim notum ex antiquo renaſcens, & experimentis ac rationibus galeatum, in ſcenam nunc ſub lymphæ ac ſanguinis æquo motu donatorum perſonis prodiens; ſtirpium animaliumque exordia inſpice, ut gelatinoſa ſunt, ut totus ferè in ſingulis embryo cerebrum eſt lymphâ plenum; ex eâ nervorum vaſorumque rudimenta, prima motus organa, quaſi primum curante naturâ. Hanc vitæ, ſenſus, motus, fœcunditatis dotibus eſſe præditam, teſtatur luxuriantis animalium exanguium familiæ conſimilis ſubſtantia; non niſi poſt formata ex lymphâ cordis pulmoniſque organa ſanguinis punctum ſaliens ap-

paret, non nisi explicantibus se sensim arteriis venisque humoris rubri motus augeatur, cujus igneâ vi tota inflammaretur machina, nisi continuè affluentis lymphæ humiditate temperaretur. Huic si motum pertinaciùs recusas ob incognita tibi à canali Thoracico ad cerebrum vasa, ob denegatum illic & in nervos coloratorum liquorum injectionibus aditum; sanguinis motûs veritatem difficilioribus superatis obicibus viam sibi fecisse memineris; sicut & Pequeti receptaculi ipsiusque canalis Thoracici vasa mox inventa, sic & quædam è Thoracico ad cerebrum reperiri posse, plurimos hoc in spatio lymphaticos canales, qui hoc fungantur officio existere, taliumque inventionis omen jam lymphatico-nerveis adiposisque à celebri Monspeliensi Anatomico detectis extare, nec nervos lymphæ impervios existimes, comparatâ in plantis succiferorum vasorum intus lamellatorum structurâ, quæ etsi injectionibus non pateant, circumeuntem nihilominus humorem, animali chylo ab origine analogum vehere ac revehere non ambigitur; quin & athmosphæricus aëris calor succi vegetalis in stirpibus ascensum descensumque juvans, sanguinis calorem ad lymphæ circuitum imitatur. Indociles olim se minus præstabunt animi, explosâ deinceps spirituum animalium existentiæ ideâ, cum fictitio quorum calore haud congruit corticalis cerebri substantiæ frigiditas, etiam in vivo animali tactu observata. Sed quid istorum opus hypothesi, dum succus idem lymphaticus è cerebro in nervos fusus, è nervis in vasa lymphatica rediens, interdumque cum sanguine communicans spirituum animalium vices obit, omniaque vitæ animalis munia adimplet?

Ergo est suus lymphæ ut sanguini propria per vasa circuitus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Mery.

M. Joannes-Baptista Dubois, Serenissimæ Principissæ Dotariæ de Conti, Medicus.

M. Guillelmus-Josephus de l'Epine.

M. Ludovicus-Hyeronimus Cosnier.

M. Joannes-Ludovicus le Thieullier.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. Claudius Du Cerf.

M. Claudius Vergne, Pharmaciæ Professor.

M. Jacobus-Benignus Winslow, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

Proponebat Parisiis RAIMUNDUS DE LA RIVIERE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1728. à sextâ ad meridiem.

Typis Viduæ J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1728.